



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nicolai Mazzotta theologia moralis**

omnem rem moralem absolutissime complectens

**Mazzotta, Nicolò**

**Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756**

§. II. Quid de habente occasionem proximam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41004**

aut aliud grave damnum; modo doleat de sua negligentia, si fuit negligens, & proponat postea addiscere. Cæterum præceptum hæc addiscendi memoriter ex consuetudine solum obligat sub veniali: Nav. Lop. & alii contra Barbos. Quare, si ea ita imperfecte sciat, ut saltem interrogatus sciat respondere, potest licite absolvi, etsi nesciat ea memoriter recitare. Si vero nec sciat respondere, instrui prius debet, vel remitti ad Parochum, qui tenetur ex officio eum instruere. At, si quis sit adeo stolidus, ut nullam propriam rationem de his Mysteriis formare queat, est quoad hoc adnumerandus inter infantes, & perpetuo amentes: Tann. Vide dicta §. supra cit. n. 2. quæsit. 6,

## §. II.

*Quid de habente occasionem proximam?*

**O**CCASIO peccandi alia est remota, alia proxima. Remota dicitur, in qua quis nunquam, aut raro admodum peccavit, nec prudenter timet, se peccaturum; ut si decies accesserit ad tale consortium, & nunquam, aut forte semel, seu raro, & potius veluti casu est lapsus; & huic per se loquendo non videtur neganda absolutio, ex eo præcise, quod nolit eam occasionem deserere, quia aliter deberemus exire ex hoc mundo, ut loquuntur Theologi ex Ap. 1. ad Cor. 5. Proxima occasio dicitur, in quas quis frequenter peccavit, vel prudenter timet, se peccaturum: ut si decies accesserit, & octies, vel septies est lapsus, ea est occasio certe proxima; si vero ter, aut quater, est probabiliter proxima: Gob. in Exper. t. 7. num. 527. Et huic est omnino deneganda absolutio, si nolit deserere talem occasionem proximam peccandi mortaliter; quia jam est ei voluntaria; ideoque actuale peccatum, ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est ipse amor periculi peccatum est, ut explicant Doctores communiter: idque verum est, etiamsi periculum sit probabiliter proximum, cum hoc etiam sit præfens animæ malum: Carden. & alii contra Caram. Gob. & Mendo. Hinc ab Inn. XI. damnatur hæc Prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.*

Dubium



Dubium est, An talis absolvi possit, antequam tollat occasionem proximam, si serio promittat eam tollere?

Negant Con. Azor. Carden. & alii; quia, qui accersit ad Confessionem, antequam illam tollat, præsumitur, nolle eam deserere; & in hoc, quod ea non deseritur, quando potest deseri, peccatur. Sed probabilius Suar. d. 32. s. 3. Cajet. Tamb. Cordub. & alii communiter affirmant; quia potuit poenitens immediate ante audiendo concionem, vel ipsius Confessarii admonitionem, aut alia ex causa, excitari ad verum dolorem. & efficax propositum tollendi illam, ita ut possit prudenter præsumi, quod de præsentem eam nolit in posterum retinere: ergo potest absolvi saltem prima vice; nam de aliis vicibus dicam §. 3. Excipe tamen cum Tambur. publicum peccatorem, qui propter scandalum debet ejicere concubinam publicam, antequam absolvatur: excipe etiam in hac Diocesi Neapolitana concubinarium, quem non possumus absolvere ante bimestre à separatione, juxta dicta in Append. c. 2. §. 2.

Quæres primo, An possit absolvi, qui versatur in occasione proxima necessaria, quam scilicet non potest tollere physice, vel moraliter?

Respondeo affirmative, Si aliunde ex signis veri doloris, & propositi prudenter præsumi possit, eum non relapsurum. Ratio est, quia talis occasio materialiter accepta est ei involuntaria; & ex dictis signis præsumi potest, quod non erit amplius voluntaria formaliter, & in ratione peccati: ergo non est, cur non possit absolvi. Sic absolvi potest, qui in eodem carcere detinetur cum concubina, quia est occasio physice necessaria: item Mancipium cohabitans apud dominum cum domestica secum peccante, quia est occasio moraliter necessaria, cum non possit deserere dominum sine injuria. Item filiusfamilias, quamvis domi adsit serva, vel alia, cum qua consuevit peccare, & quam ipse expellere domo non potest; & à fortiori, si cum fratre, sorore habet occasionem peccandi, à quorum convictu moraliter se jungi nequit: Tamb. *de Confess.* l. 3. c. 3. n. 8. Item dic de eo, qui domum, officium, artem, mercaturam, &c. in quibus frequenter peccavit, deserere non potest sine valde gravi damno, quod subire vires humanas superat; puta, si deserendo incidat in periculum vitæ, scandalum, infamie,



infamiae, mendicitatis, ac miseriae: Laym. l. 5. t. 6. c. 4. num. 9. Tenentur tamen hi omnes orationibus, jejniis, ciliciis, frequentia Sacramentorum, aliisque remediis (praesertim iis, quae pro cujusque necessitate, ac facultate suggeret Confessarius) reddere, quantum possunt, periculum illud à se remotum; sic enim deserunt occasionem illam formaliter, quando non possunt etiam materialiter: Doctores communiter.

Quæres secundo, An possit absolvi, qui non potest tollere occasionem proximam sine aliquo incommodo non valde gravi, si eam nolit tollere?

Respondeo negative, Quia, si damnum non est valde grave, non affert impotentiam moralem, seu superantem vires humanas ad illam rejiciendam: ergo praesumitur, quod occasio sit ei voluntaria, adeoque actu peccaminosa, & consequenter non est absolvendus, quamvis dicat firmissimum habere propositum non amplius peccandi in illa: cum hoc ipsum nolle talem occasionem tollere sit peccare, & facta sint contraria dictis. Hinc damnatur ab Alex. VII. Prop. 41. *Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & alia epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Idem est, etsi illam ejiciendo amitteret lucrum in negotio, cui illa sit necessaria, vel non posset recuperare, v. g. 100. aureos, quos illi mutuo dedit; quia ad retinendam proximam occasionem materialem non sufficit quæcunque utilitas, sed requiritur periculum damni valde gravis, quale esset, si v. g. non recuperando dictos 100. aureos, incideret in gravissimam necessitatem, & mendicitatem, ac miseriam, cui non posset alia via occurrere: Mendo v. *Occasio.* Idem dic de aliis occasionibus odii, rixæ, blasphemiae, detractionis, detestationis morosæ &c. Imo nec potest absolvi, qui directe quærit occasionem proximam pro quocunque bono temporali, vel spirituali, sive suo, sive alieno; ut constat ex Prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, & 63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi,* damn. ab Inn. XI. quia ejusmodi causæ non efficiunt, ut illa occasio non sit directe volita, atque adeo  
*R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. M m pecc-*



peccaminosa. Dixi, qui directe quærit; nam Confessarius, Chirurgus &c. qui sæpe lapsi sunt in turpes consensus, audiendo confessiones, medendo, &c. absolvi possunt, si proponant, non quærere directe eas occasiones: quamvis parati sint audire confessiones, mederi &c. ab aliis rogati, & sanctis cogitationibus muniti: Doctores communiter.

## §. III.

*Quid de Recidivo?*

**R**ECIDIVUS dicitur, qui post pœnitentiam relabatur in idem peccatum, five ex fragilitate, aut consuetudine, five ex occasione extrinseca.

Dico: non potest absolvi recidivus, si nulla appareat spes emendationis, etiam si ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis. Ratio deducitur ex Prop. 60. damnata ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: ergo, si aliunde appareat spes emendationis, potest licite absolvi.* Porro signa talis spei sunt: si à confessione facta aliquanto rarius, difficilius, aut tardius peccavit: si sæpius sibi vim fecit, occasiones aliquas formales vitavit, locum, & tempus relabendi aliquando præcavit: si remedia aliqua adhibuit, præsertim ex præscriptis à Confessario: si sponte sua, & non ab aliis compulsus ad confessionem, & præsertim ad eundem Confessarium accedat: si statim post peccatum dolore tactus confiteri statuit, vel post multam luctam tandem resolvit: si initio graviora dicat, accuset se etiam de alias omissis, solícite exponat numerum, & minutas circumstantias, curetque, ut omnia bene intelligantur: si petat efficaciora remedia, desideret, aut alacriter acceptet magnam pœnitentiam, optet pati ad satisfaciendum Deo, injurias ultro condonet, &c. Hæc, vel aliqua horum prudenti Confessario esse possunt argumenta sperandi emendationem, adeoque bonæ dispositionis de præsentis, & consequenter potest licite absolvere: Croix n. 1733. Contra vero, si nihil horum appareat, etiam si ore proferat.